



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Jacobus Apostolus. 25. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

462 VITÆ SANCTORUM. 25. Julii.  
modulis, iterumque è vitâ abiens non u-  
nam jam animam cælo intulit. *Ex Surio.*

*Si est sub terrâ Tartari carcer, si est com-  
bustio ardens, si est Infernus sine fine cru-  
cians, quid stupemus quare non omnibus  
contemptis sola nobis cura sit evadendi à  
malis talibus, ne viventes mundo ad can-  
tas, tales, tam crudeles subito rapiamus  
pœnas? S. Pet. Chryf. serm. 124.*

S. JACOBUS APOSTOLUS.  
25. Julii.

**L**Audes JACOBI scripturo pennam  
ultrò JACOBI volucres ingerunt.  
Audi juvenus, & patronum tuum me-  
cum lauda. Ibant conjuges pii Compo-  
stellam, & trahebant pietatis suæ comi-  
tem filium formâ liberali juvenem. O  
ut periculosè castitas peregrinaris! Hof-  
pitis filia oculis capta adolescentis, ca-  
pere etiam ipsum nititur. Evadit hic mu-  
liebris amoris laqueos, sed non odii. Sub-  
dola enim inter sarcinulas castissimi au-  
reum craterem condit, & abeuntē de  
furto accusat. Damnatur, ducitur, &  
in crucem tollitur; sed non moritur in-  
nocentia. Dum enim mœsti parentes iter  
relegunt, dum agrè & pedes trahunt &  
animas senectutis scipione filio amissò,  
dum frui illos vel pendentis aspectu ju-  
vat, ecce ab infelici arbore filius: Quid  
lacrymis vivo parentas mater? vivo Dei  
Matre.



25. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 463

Matre & JACOBO succollantibus: ii,  
Judici dic, ne damnare pergat, quem  
mors absolvit. Vix hæc ille ad matrem,  
cùm mater hoc ad Judicem mensæ ac-  
cumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus  
vivit, quàm assus hic cum gallinâ suâ  
gallus, qui lautus unctusque sepulchrum  
stomachum expectat. Jam carpere para-  
bat, cùm gallus & gallina in vitam se e-  
rigunt, innocentie victrici alis applau-  
dunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo  
damnat se ipsum Judex, & innocentem  
missum facit, volucrum verò proles post-  
huma etiam hodie plumas suas cum lau-  
dibus JACOBI in omnem orbem spar-  
gunt, nunquam omnes, licet tot quoti-  
die vellicent, evellendas. Ex L. Marino  
l. 5. de reb. Hisp. c. ult.

*Quid ditius quid in corde dulcius, quid  
in terrâ quietius est, & securius bonâ con-  
scientiâ? damna rerum non metuit, non  
verborum contumelias, non corporis crucia-  
tus, quin & ipsâ morte magis erigitur  
quàm deprimatur. S. Bern. l. de Cosid.*

S. CHRISTOPHORUS M. 25. Iulii.

CHRISTOPHORUS, sive corporis  
sive animi spectes robur, semper  
magnus, nomen hoc suum reportasse  
tunc creditur, cùm Christum sub pueri  
vultu per aquas transportavit, non ma-  
gni laboris maximum naulum. Certè  
Chri-